



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quae sit fides Christiana, & in quo fundetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

3. Fidem veram inesse homini, demonstratur per duo, scilicet pœnitentiam, id est, cessationem à vitijs: deinde per obseruantiam præceptorum DEI, ex dilectione & gratiarum actione accepti beneficij Christi: de primo dicitur Marci 1. Lucæ 24. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum: De reliquo inquit Apostolus: Fides per dilectionem operans bona, placet Deo, Galat. 5. 1. Corinth. 7. Neque circuncisio neque præputium aliquid valet, sed obseruantia præceptorum Dei. Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &c. Lucæ 6. Quid autè vocatis me, Domine Domine, & non facitis ea quæ dico vobis? Illa ergo duo, declinare à malo, & facere bonum, vt Psalmo 33. & 36. dicitur, testificat veram adesse Fidem: quare peccatores, impœnitentes, infideles, &c. non habent fidem veram cordis, ac iustificantem, sed bene fidem oris, de qua Apostolus ad Titum 1. confitentur se nosse Deum ore, factis autem negant. At inquis: Si nullus peccator habet Fidem, ergo non est fides in mundo? eò quòd omnes sumus peccatores. Respondeo: Est peccatum ex natura, quo omnes sumus peccatores. Psal. 50. Eccè enim in iniquitatibus conceptus sum, &c. Ephes. 2. Eramus oēs natura filij iræ. Et 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Ab illo peccato nemo immunis est, ideò quotidie oramus nobis dimitti debita nostra, Matth. 6. & ingemiscimus, liberari à peccato sicut filij Dei cupientes: Ad Rom. 8. Illa autem peccata nobis propter fidem in Christum condonantur.
4. Deinde est peccatum, quod Lex & Decalogus prohibet, adulterium scilicet, furtum, homicidium, inuidia, luxuria, &c. Qui ergo in illis delectantur & viuunt sine pœnitentia & cessatione, non habent fidem consequendę misericordię Dei, alioqui cessarent, et si ore